

tegmina, & nudum corpus exprobrantes. Postremò eò furoris venere, vt tres legiones a miscere in vnam agitauerint. Depulsi<sup>b</sup> a mulatione, quia suæ quisque legioni eum honorem quærebant, aliò vertunt, atque vnà tres aquilas, & signa cohortium locant, simul cogerunt cæspites, extruunt tribunal, quò magis conspicua sedes foret. Properantibus Blæsus aduenit, increpabatque, ac retinebat singulos, clamitans, mea potiùs cæde imbuite manus: leuiore flagitio legatum interficietis, quàm ab imperatore desciscitis: aut incolumis fidem legionum retinebo, aut iugulatore pœnitentiam adcelerabo. Aggerebatur nihilominus cæspes. iamque pectori vsque adcreuerat, cum tandem peruicacia victi inceptum omiseret. Blæsus<sup>d</sup> multa dicendi arte,<sup>e</sup> non per seditionem & turbas desideria militum ad Cæsarem ferenda ait:<sup>f</sup> neque veteres ab imperatoribus priscis, neque ipsos à diuo Augusto tam noua petiuisse, & <sup>g</sup> parum in tempore, incipientes principis curas onerari. Si tamen tenderent in pace tentare quæ ne ciuiliū quidem bellorum victores exoptulauerint, cur contra<sup>h</sup> morem obsequii,<sup>i</sup> contra fas<sup>k</sup> disciplinæ vim meditentur? decerne-

## OBSERVATIONES.

a Quemadmodum qui aliquem infringere studet, ei danda est opera, vt illius vires, quâ potest, destrahat; ita qui magnum, ac periculosum aliquod facinus aggrediuntur, hi quicquid habent virium, quibus nituntur, quasi vnum in corpus redigere debent, ne perumpi possint. ceterum nouarum rerum auctor consulte faciet, si suarum partium homines ita miscerit vt, quid quisque seorsim ab cæteris aut dixerit, aut egerit, non inter nosci queat; ne post victoriam aliquos, ac nimium fortasse multos premis donare, ob discretam virtutem, & manifestius spectatam, cogatur; aut si forte res malè cadat, in præcipuos aliquos turbarum auctores grauius animaduerti ab eo principe, qui eo facto læsus est, possit; tanquam in eos qui non publica omnium causa continentur, sed qui, quòd inter cæteros noscitari poterunt, ipsi sua quoque & dicta, & facta prestare debent.

b Aemulatio honoris, quæm quisque sibi potiùs, quam aly tribui vult, plus vtrique potest, quàm furor, & seditio.

c Leuiore flagitio interficitur legatus, seu quis alius dux exercitus, quàm deficitur ab imperatore, siue principe, hoc est, nullum licet atrocissimum crimen tantum est, vt cum eo comparari possit, cum læditur maiestas principis deficiendo ab eo.

d Perpaucos reperias egregios fuisse imperatores, qui non ijdem multa dicendi arte præstiterint.

e Nec populi, nec militum desideria per seditionem, & turbas ad principem, seu imperatorem deferri oportet, idque adeò verum est, vt, quod iustum desiderium fortasse est, illud ipsum vis, & seditio iniquissimum reddat. Siquidem omnibus in rebus, quæcunque tandem ille sunt, non magis quod agitur, quàm qua ratione, quaque arte quidque agatur, attendi & solet, & debet.

f Veterem, & recentem historiam tenere debet imperator, vt ex ea promere exempla, prout res postulabit, possit.

g Planè iniquus, & impudens est is, qui nouis, & iniustis petitionibus incipientes principis curas onerat.

h Quemadmodum obsequio subiectorum nititur principis maiestas, ac proinde securitas reip. ita obsequium militum est fundamentum discipline militaris, quo sublato militiam atque adeo imperium interciderè constat.

i Illud ipsam repeto quod paulò ante obseruauimus, omnia, quæcunque ab subiectis in principem, aut ab exercitu aduersus imperatorem per vim aguntur, fieri contra fas.

k Exercitus in omnibus, etiam grauissimis postulat, morem obsequii, & disciplinam militarem retinere debet.